Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1739
Quelle:
Copyright:

VI. *fol.* 58. Alia Relatio incipiens: *Sabbato ante Marcelli que erat dies 1 Mens. Junij Nobiles domini Boemice et polonice Nacionum obtulerunt cartam seu cedulam Coram deputatis Concilij in Constantia apud fratres minores* &c. Congruit cum *Historia Hussi* praefixa editioni *Opp. supracit.* et quidem a p. ejus 15. usque ad p. 33. ita, ut qui *Historiam* illam contexuit, *Relationem* praesentem prae oculis habuisse videatur. Sunt tamen, in quibus non sola tantum phrasi discrepent. A *fol.* nobis 78. interjectae sunt *Hussi Epistolae*, prout extant in Edit. *cit.* p. 79. et quidem ab *Epistola* XV. ad XLII. hoc uno discrimine, quod XXIV — XXVI. sermone nativo *bohemico* repraesententur. Relatis *Epistolis* Scriptor noster *fol.* 89. p. 2. ait: omittere se *Articulos extractos de libro de Ecclesia et quibusdam alijs tractatibus Johannis hus* jam supra scriptos, item *Ordinem procedendi in causa magistri Johannis hus a principio inter ipsum et pragen. archiepiscopos* (edit. cit. p. 109.) *per ipsummet alias consignatum propter breuitatem temporis*, resumitque telam narrationis ab his verbis: *Cum autem dictus Magister Johannes Hus Constancie staret ad tres ebdomadas cum media* &c. quae coincidunt cum *Hist.* impressae p. 6. in qua desiderantur *Articuli extracti ex processu cause contra magistrum Johannem hus sufficienter deducti et probati per testes fide aignos*, qui *Relationi* nostrae finem imponunt.

VII. *fol.* 104. p. 2. *Tractatulos subsequentes, de quibus supra fit mencio Magister Johannes Hus compilauit in carceribus aput fraterculos predicatores Constancie positus nullum librum habens in suffragium, ad instantes preces custodum carceris predicti, de quibus custodibus ipse Magister Jo. in fine tractatulorum metrice alias versifice facit mencionem. Et hoc Anno Domini M° CCCC° XV° in carnispriuio, qui tractatuli ex originali manus sue presentibus sunt copiati, et vnus de manu eius habetur in memoriam eius.* Sunt vero *De Matrimonio, de Sacramento Eucharistiae, de Mandatis et Oratione Domini*, et *de Peccato mortali*, ut extant edit. *cit.* T. I. p. 38.

VIII. *fol.* 119. *Job. Hussi Epistolae* IV. sermone *bohemico*, quae sunt inter latine impressas edit. *cit.* numero XII. XIII. XI. XIV.

IX. *fol.* 124. p. 2. Excerptum *ex Libro cuiusdam medici.* De emissione Urinae et Calculo.

X. *fol.* 131. *De electione Episcopi.* Initium: *Actor. 1. legitur, quod sicut suo officio congruebat, diffiniunt* (Apostoli) *vnum debere Jude proditori succedere* &c. Compilatio e *Richardo Armach. Nic. Lirano, Guil. Occamo*, Jure Can. et Legendis SS. de Episcopis a Populo, Clero, Principibus olim electis, quae tandem in hanc Quaestionem definit: *Vtrum nunc*

liceat